

Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. Ille diligit Deum, qui edificat fratres, sicut dicitur Petro: Si amas me, pascere oves meas.

De eis autem que idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo: & quod nullus est Deus, nisi unus. Repetit quid superius dixerat se scire: & quid sit, evidentius ostendit.

Nam est sunt qui dicantur dii, sive in celo, sive in terra: siquidem sunt dii multi & domini multi. In celo, angeli: & sancti in terra: de quibus dicitur: Ego dixi dii estis: & Domini sunt sancti eorum, quos iudicabunt, de quibus dicitur: Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.

Nobis tamen unus est Deus Pater. Cuius virtute ex nihilo omnia sunt creata. Item hunc locum heretici ita accipiunt, personam patris filique separantes, ut dicant unum Deum & patrem, ex quo omnia: & dicunt Domino, id est Christo, esse majorem: per quem omnia. Hæc autem & filio sicut patri esse communia, idem Apostolus ad Romanos docet, dicens: Quis enim cognovit sensum Domini? id est Christi, non Dei Patris: sicut ille dicit, & infert dicens: Quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Item, per quem, etiam Deo Patri ascribit idem Apostolus in hac eadem Epistola, dicens: Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem Filii eius Jesu Christi Domini nostri.

Ex quo omnia, & nos in illo, & unus Dominus Jesus Christus. Calumniam ex hoc loco commovent Ariani, quod cum unus tantum Deus dicitur pater, filius à deitate se junctus sit. Quibus respondendum: si ideo non est filius Deus, quia unus est Deus Pater: Ergo & pater non erit Dominus, quia unus est Dominus Christus. Si autem pater non excluditur à dominatione: nec filius à deitate: sed utrumque utrique commune est.

Per quem omnia, & nos per ipsum. Per filium omnia facta sunt, sed & nos per ipsum sumus salvati.

Sed non in omnibus est scientia. Non omnes sciunt, quia per contemptum idolorum & non magis venerationis gratia manducatis.

Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cum sit infirma, pollutitur. Quidam ignari sic habent: adhuc in conscientia sua quomodo antequam crederent, manducabant.

Etsi autem nos non commendat Deo. Sicut dicit Aggæus Propheta: Et si manducatis & bibistis, nonne vobis manducatis & bibistis.

Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus. Cui enim dubium est, nullum neque manducando abundare, neque non manducando egere: cum è contrario illis magis formidando inopia sit, qui gulam retinere non norunt. Sed quia magnitudini fidei suæ quæ idolis immolata sunt vesci, ascribebant: ideo Apostolus neque in illis edendis fidei abundantiam, neque in non edendis inopiam esse testatur.

Videte autem ne forte hæc licentia vestra. Videte ne quod vobis sufficere minus creditis, aliis obest. Potest & illis dici qui destruant exemplo, quod edificant verbo.

Offensivum fiat infirmis. Ne per vos offendant & cadant.

Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolo recubentem: nonne conscientia ejus cum sit infirma, edificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in sua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christo peccatis. Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut mola asinaria suspendatur collo ejus, & mittatur in profundum maris. Quantum gravior pena illos expectat, ut ad comparationem illius, hoc quod gravissimum est, leve putetur. Et notandum quod in Christo peccare dixerit, qui in membro peccaverit Christi.

Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Non solum esca, sed omnia quæ scandalizare poterunt fratrem.

Caput IX.

NON sum liber, non sum Apostolus. Sicut alii: Nunquid non sum, suam illis replicat formam: quod

etiam licita contempserit, ne alii ejus infirmarentur exemplo.

Nome Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum. Ad quos non sum directus à Domino: id est, ad Judæos.

Nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. Indicium apostolatus mei est, quod per me Domino credidistis, signis & virtutibus provocati.

Mea defenso apud eos. Inde Apostolus esse defensor.

Qui me interrogant, hæc est. In Græco habet, judicant.

Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Habemus potestatem concessam à Domino de sumptu vestro vivendi, sine nostro labore.

Nunquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi. Non dixit, mulieres ducendi, ne de uxoris dicere putaretur: sed circumducendi, inquit, per provincias, quæ necessaria de suis facultatibus ministrarent.

Sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Non illos condemnat, sed suum dat exemplum. Illi enim fidelioribus prædicabant: & apud Judæos antiqua hæc erat consuetudo, ut necessaria doctoribus à discipulis præberentur: quod gentes adhuc rudes poterat scandalizare.

Quis militat. Aliis etiam exemplis probat sibi debitum hoc fuisse.

Suis stipendiis unquam? Suis, & non publicis, vel eorum pro quibus militat.

Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Per comparationem vineæ & gregis, populum vult intelligi, sicut ibi: Vineam de Egypto transfulisti. Et iterum: Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascant vos cum disciplina.

Nunquid secundum hominem hæc dico? Id est, nunquid proprio tantum sensu loquor?

An & lex hæc non dicit: Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hæc dicit? Nam propter nos utique scripta sunt. Quomodo ergo ei de pecoribus cura est? Et ad Jonam de Ninive dicitur: in qua sunt homines, & pecora multa? Sed de ipsis propter hominem, cui creata sunt, cura est: nam deficiente homine, & ista deficiunt: non tamen propriè Dei curam merentur.

Quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Debet fructum sui laboris percipere, & qui triturat, debet de ipsa area manducare.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si non carnalia vestra metamus? Si vobis spiritualia & divina seminavimus, nunquid gravabimus vos, si à vobis quæ carni opus sunt, velimus accipere?

Si alii potestatis vestra participes sunt, quare non potius nos? Si illi à vobis acceperunt, quibus minimè debebatur, pseudoapostoli scilicet, quos nihil vobis certum est contulisse: quanto magis nos accipere poterimus, si vobis utile esse sentimus?

Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offensivum demus Evangelio Christi. Hoc est, famem & sitim, nuditatem libentissimè toleramus: ne per nos advertatis occasione accepta devorantibus offendatis. Aut ne cui prædicatio nostra in aliquo reprehensibilis videatur, avaritiæ suspitione maculata.

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, que de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deseruiunt, cum altario participant? Apud Judæos secundum consuetudinem veteris testamenti, etiam hoc exemplum, eadem repetendo, confirmat.

Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Dicens: Dignus est operarius mercede sua.

Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. Non hæc idcirco scribo, ut vel modo fiat quod ante factum non sit: sed vobis exempla præbeo tam proprii, quam alieni discriminis: saltem ab illicitis abstinere, cum videatis me aliorum causa salutis, debita non minus quam licita contempisse.

Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Etiam si fame morerer, propositum meum de quo ante Deum glorior, nunquam potest immutari.

Nam

Caput X.

Nam & si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Cum omnia feceritis præcepta, debita vos dicite perfolvisse. Non enim aliquid amplius fecistis, unde gloriari possitis. Va enim mihi est, si non evangelizavero. Damnationem habeo.

Si enim volens hoc ago? mercedem habeo: si autem involuntarius, dispensatio mihi credita est. Tunc magis videbitur voluntarium, si amore ejus licita contemnuntur.

Quæ est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium ut non abutar potestate mea in Evangelio. Quali interroget unde majorem possit habere mercedem: & ipse respondet, si gratis annunciem, nec acceptam exerceam potestatem.

Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrificerem. Cum possem uti libertate mea, & de cæteris non curare: omnibus tamen compassus sum, ut eos facerem salvos.

Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. Quando se purificavit in templo, quod tempore gratiæ sciebat esse superfluum.

His qui sub lege sunt, quasi sub lege essem. Ostendit quomodo fuerit cum ipsis & ipse Judæus. Potest & ita intelligi, quod Samaritanos dixerit esse sub lege: qui legem tantum Moysi videntur accipere.

Cum ipse non essem sub lege: ut eos qui sub lege erant lucrificerem. Non est sub lege literæ, quæ peccatoribus data esse perscribitur.

His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem. Sine lege literæ: & à gentibus in primis solam fidem quærebat, quasi non haberet præcepta legis Christi, quæ illos observare doceret, sive in eo quo illos ad fidei credulitatem non tam legalibus doctrinis, quam rationabilibus argumentis provocabat. Sicut Athenis fecisse perhibetur, philolophos & paganos per philosophiam, & aratum titulum exhortando, dum dicit: Circumveni aras vestras, & ut quidam vestrum dixerunt.

Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi: ut lucrificerem eos qui sine lege erant. Contra Arianos & Photinianos, quod Deus sit Christus. Etiam hoc notandum quod novum testamentum lex appellatur.

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrificerem. Propter infirmos olera manducavi, cum securus possem carnibus vesci promiscuis.

Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Non aliquid mihi, nec quærens quod mihi utile est, sed quod multis. Item aliter, in his quæ superius memoravimus: non ut quidam malè existimant illum etiam illicitis consensisse.

Omnis autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar. Ut in eo partem merear habere cum sanctis.

Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Hic stadii cursum, justitiæ vel fidei comparavit: quia quomodo illic cum omnes intra stadium currunt: non nisi qui bene ecurrerit, dignus præmio judicatur: ita & hic quamvis intra fidei metas, cuncti credentes contineantur, soli tamen qui justè vixerint, præmium cælestè percipient. Item hoc loco inter eos qui in stadio currunt, unum accipientem palmam: significat omnem rectè fidem tenentem, & præcepta servantem.

Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere. Ab omnibus eis, quæ cursum eorum impedire consueverunt.

Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi ærem verberans. Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo. Non in vanum curro vel singo certamen; sed castigo corpus meum, & servituti subijcio per abstinentiam & afflictionem atque labores, sicut alibi ait: In jejuniis multis, in vigiliis, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus, in carceribus, &c. Sicut ad Hebræos, Prophetas, & alios sanctos passos multa talia memoravit.

Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Non faciendo quæ dico.

Tom. V.

NOLO enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt. Ne quis confidens in eo solum, quod baptizatus est: aut in esca spirituali, vel potu, putet sibi Deum parcere, si peccaverit: tale patrum proponit exemplum: quo ostendat tunc ista merito profutura, si præcepta servantur.

Et omnes in Moyse baptizati sunt. In Moyse, qui Christi typum gerebat. Item hæc in illo tempore quasi in umbra & typo fiebant: non in veritate, postea verò præsentia Christi complebantur.

In nube, & in mari. Quia & nubes proprium humorem portat.

Et omnes eandem spirituales escam manducaverunt, & omnes eundem potum spirituales biberunt. Manna, figura corporis Christi fuit.

Bibebant autem de spiritali confluence eos petra. Ostendit Apostolus: quoniam populus Israel quamdiu in deserto fuit, per omne iter eorum sequebatur eos petra. Unde populo cum omni substantia sua fluente succurrunt: donec pervenientes in terram Moab, puteum effoderunt aquarum, terra re-promissionis in proximo constituta.

Petra autem erat Christus. Quia Christus erat postmodum secutus: cuius figuram tunc petra gerebat. Idcirco pulchrè dixit, confluence eos petra.

Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam proftrati sunt in deserto. Ita ergo & vobis erit, si eos volueritis peccando imitari.

Hæc autem in figura facta sunt nostri ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Ipsi verè facta sunt, quæ in figura erant nostra, ut timeamus talia agere, ne talia incurramus. Omnia enim quæ in populo Israel illo tempore facta sunt in figura, nunc in nobis in veritate celebrantur. Sicut enim illi per Moysen ex Egypto liberati sunt, sic nos per quemlibet sacerdotem vel doctorem de sæculo liberamur. Deinde Christiani facti, ducimur per desertum: ut per exercitium contemptus mundi & abstinentiæ, in oblationem nobis eant Egypti voluptates: ita ut nesciamus ad sæculum repedare. Cum verò baptismi mare transimus, tunc nobis diabolus cum suo exercitu tanquam Pharaon demergitur. Deinde manna cibamur, & potum accipimus de Christi latere emanantem. Claritas quoque scientiæ tanquam columna ignis, in nocte sæculi demonstratur: & in tribulationis ætu, divinæ consolationis nube protegemur. Post quæ omnia si peccaverimus, ista nobis sola suffragari non poterunt: sicut & ad Hebræos dicitur: Irritam quis faciens legem Moysi, duobus aut tribus testibus, sine ulla miseratione punitur: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit: & cætera.

Neque idololatra efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. In idolo recubentium usque adeo negotium aggravavit, ut illos idololatas fuisse definat.

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia. Notandum quod non solum idololatræ perire dicuntur.

Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum. Et hic Christus Deus ostenditur: quia Deum dixisse legimus, Tentaverunt me decies.

Tentaverunt, & à serpentibus perierunt. Dicens, nunquid potest Deus parate mensam in deserto?

Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt: & perierunt ab exterminatore. In tribulationibus propter Christum.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram. Omnia quæ illis contigerunt, secundum facta sua quidem receperunt: sed tamen ideo scripta sunt, ne nos putemus impunè peccare. Si enim adhuc parvulis & rudibus non pepercit, quanto magis nobis, qui legem perfectionis accepimus, non parceret, si talia fecerimus?

In quos fines seculorum devenerunt. In quos tota temporum perfectio decurrit.

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Videat ne per hoc ipsum cadat: quod se stare firmiter gloriatur: sive, videat ne fallatur.

R r r